



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Capvt II. De Volvntario Et Involvntario.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

CAPVT II.

DE VOLVNTARIO ET INVOLVNTARIO.

Actuum humanorum, quibus ad finem nostrum vicinum tendimus, vel ab eo recedimus, summum genus, à Theologo considerandum, est, *Voluntarium*, cui opponitur *Nonvoluntarium*.

CONTROVERSIA I.

Quomodo definitio Voluntarij sit intelligenda.

Duae sunt definitiones Voluntarij, una Aristotelis, altera D. Thomae. Prior est haec. *Voluntarium est, cuius principium est in ipso agente, cognoscente singula, in quibus est actus.* Posterior est brevior & clarior. *Voluntarium est, quod procedit ab intrinseco cum cognitione finis.*

Definitionem Aristotelis rejicit Arriaga, sed immerito: nam etsi, spectatis obiter verbis, patiantur aliquas difficultates, consensus tamen Interpretum transiit verborum significationem in sensum legitimum, ut patebit ex solutione objectionum.

1. Obijcies ergo 1. Ad rationem Voluntarij simpliciter dicti non requiritur, ut cognoscantur singulae circumstantiae, in quibus est actus: ergo peccat definitio. Antecedens probatur. Amor Dei est utique voluntarius mihi, etiam quando non cognosco circumstantiam loci aut temporis. **R.** Illam esse definitionem Voluntarij perfecti quoad omnes circumstantias illas, quae non sunt de ratione ipsius actus, qualis est intentio, quae, cum non distinguatur à partibus actus, semper est voluntaria, etiam si non cognoscatur reflexè: cetera verò circumstantiae in tantum sunt voluntariae, in quantum cognoscuntur.

2. Obijcies 2. Conclusio non dicitur voluntaria, & tamen est ab intrinseco, & procedit ex praevia cognitione. **R.** 1. Voluntarium, secundum Aristotelis sensum, debere esse actionem versantem formaliter circa illud ipsum objectum, circa quod versatur cognitio praevia, dirigens actum: conclusio autem habet aliud objectum formaliter distinctum ab objecto praemissarum. **2.** Aristotelem per *Principium intrinsecum*, non intelligere quaecunque principium inexistens illi, in quo est actus, sed in sensu strictiore, nempe principium, quo res aliqua ex modo tendendi dicitur potius se movere, quam moveri: & huiusmodi est solum principium appetitivum, quo censetur à nobis exire ad objectum, cum

contra intellectus per suos actus objectum potius in se recipiat, & patiat ab illo, sicut etiam sensus dicuntur objecta pati, & experiri.

3. Obijcies 3. Bruta dicuntur habere actus voluntarios, ut communiter docent cum S. Thoma: atqui bruta non operantur propter finem: ergo datur voluntarium, quod non est cum cognitione finis. **R.** Ex hoc ipso capite actus brutorum dici minus perfectè voluntarios: dicuntur tamen voluntarij, seu spontanei, quia, licet bruta non ordinent media ad finem propter proportionem sibi cognitam, tendunt tamen in finem à natura intentum, & non merè naturaliter, sicut lapis, sed ex cognitione proponente illud bonum, quod inest fini.

4. Ceterum, in definitione Voluntarij contingit, quod in pluribus alijs, ubi definitum est nobis notius, quam per definitionem possumus edoceri. *Voluntarium* ergo formaliter est sola & omnis appetitio: actus verò externi & effectus inde consequentes, dicuntur esse voluntarij denominativè.

CONTROVERSIA II.

Utrum Voluntarium necessarium, an verò Voluntarium liberum, sit perfectius in ratione Voluntarij.

1. Prima opinio est Vasquez, Salas, Oviedo, Arriaga, Voluntarium liberum esse magis voluntarium, quàm necessarium. Secunda est, voluntarium necessarium esse magis voluntarium. Tertia distinguit. Si Voluntarium necessarium proveniat ex meliore cognitione objecti, eò quòd nihil mali sit in objecto representabile, quod possit ab illius amore dimovere, prout est amor beatificus, tunc Voluntarium necessarium est magis Voluntarium, quia est magis à cognitione, quàm Voluntarium liberum. Si verò proveniat necessitas ex inadvertentia ad malitiam in objecto latentem, tunc Voluntarium liberum erit magis Voluntarium, quia est magis ab intrinseco: nam tunc voluntarium necessarium provenit magis ab extrinseco, scilicet ab ignorantia latentis malitiae. Ita Card. Lugo & Pallavicinus.

2. Placet hic loquendi modus, videturque conformis Aristoteli, qui 3. *Eth. c. 1.* docet, ex voluptate & delectatione metiendum esse voluntarium, vnde sic licet argumentari. Illud censeri debet magis voluntarium, quod plus af-

V 3

fert

fert voluptatis: atqui ceteris paribus voluntarium necessarium plus affert voluptatis, quam liberum: ergo: Minor probatur. Volitio libera creata semper habet ex parte objecti aliquid retardans, & quod mallet abesse, utpote malum, ac proinde cuius connexio est aliquantulum ingrata: ergo censetur adesse minus voluptatis in amplexu illius, quam adesset, si nihil huiusmodi mali subesset, & raperemur ad amplexum. Breviter. in priore casu semper ex parte objecti est aliqua resistentia, nulla vero in posteriori casu.

58. Obijcit. Illud est magis voluntarium, quod est magis ab intrinseco: sed actus liber est magis ab intrinseco, quia causa libera seipsam determinat, necessaria vero determinatur ab extrinseco. 2. Negando minorem. Nam determinatio ab extrinseco tunc solum obstat motui ab intrinseco, quando causa ab extrinseco determinanda non operatur ex cognitione finis. In idem recidit responsio Pallavicini, dicentis, non esse de ratione *Voluntarij*, excludere quodcumque principium extrinsecum; immo ei convenit moveri à fine, qui est extrinsecus & absens. Illud ergo solum extrinsecum principium pugnat cum *Voluntario*, quod movet alio modo, quam efficiendo in nobis inclinationem intrinsecam.

CONTROVERSIA III.

An Effectus, ex Licita Omisione per accidens secutus, sit Voluntarius.

59. *Voluntarium* aliud est, & dicitur *Directum*, aliud *Indirectum*. *Directum* est, quod amatur in seipso, sive mediare, sive immediate: v. g. cum volo ludere, & alium decipere, dicescere, &c. *Voluntarium Indirectum* iuxta D. Thomam q. 77. a. 7. in C. est illud, quod voluntas potuit impedire, & non impedivit, v. g. si videam cæcum ambulare versus fossam, in quam casurus est, nisi moneam, tunc si non moneam, cum monere possem, & ille cadat, casus est mihi voluntarius indirecte, & si tenebar monere, mihi imputatur, etiam si illum non intenderim. In hoc sensu datur *Voluntarium*, quod non procedit à voluntate per influxum physicum positivum, sed per omissionem influxus in impeditionem casus, nempe per omissionem admonitionis, quæ admonitio excitaret cæcum ad nolendum progredi.

60. Questio non magni momenti est, an effectus malus, secutus per accidens ex mea omissione licita, dici possit indirecte *Voluntarius*. Et quidem certum est, non esse *Voluntarium* in eo rigore, quo fuisset, & estimaretur, si adfuisset obligatio impediendi, ut tradit D. Thomas q. 6. a. 3. dicens, quod, si Gubernatori non esset commissa gubernatio navis, non imputaretur ei submersio, quæ per absentiam Gubernatoris contigerat.

61. Questio solum est, an tunc saltem in latiore significatione physica, possit effectus dici voluntarius. Negant Vasquez, Suarez, Loria, Montelinus, Granadus, Oviedo.

Rectius videntur affirmare Valentia, Salas, Lugo, Arriaga. Ratio est, quia revera huiusmodi effectus aliquo modo pender à mea voluntate, quatenus possem illum impedire. Quapropter sive obliget, sive non obliget impedire, modò possum, nihilo magis aut minus indubio physice in effectum.

62. Confirmari potest ab exemplis. Martyres dicuntur voluntarie mori pro fide, quia libere moriuntur, etiam casu, quo possent fugam licitam mortem impedire. Aliud exemplum affert Lugo. quando quis omittit peccare mortaliter, dicitur illi voluntaria perseverantia in gratia, & tamen utique non tenebatur peccare: ergo si tunc perseverantia in gratia dicitur *Voluntaria*, licet caussetur negativè per omissionem peccati, ita etiam alius effectus dici poterit *Voluntarius*, etiam si ejus impeditio non sit sub obligatione.

63. Obijc. 1. Ex Conclusionem sequitur, Deo fore voluntaria nostra peccata, & per consequens, Deum aliquo modo fore causam illorum. Sequela probatur. Posset enim Deus peccatum impedire, dando auxilia efficacia loco inefficacium, vel omnino non concurrere, nec ponere actum primum proximum. Responderi posset primò, negando sequelam & paritatem: quia Deus omitendo alia auxilia, non propterea ponit aliquam omissionem, ad quam infallibiliter & ex necessitate antecedente hic & nunc sequitur peccatum: hoc enim fit ex libera determinatione voluntatis creatæ. Responderi potest. 2. Non esse absurdum dicere, nostra peccata esse Deo voluntaria indirecte & secundum quid, prout concedit Valentia & Lugo, asserentes, in hoc sensu posse etiam dici causam indirectam seu removens prohibens; quo sensu admisit D. Thomas 3. p. q. 47. a. 1. in C. Christum fuisse indirecte causam suæ necis, quam poterat impedire, & non impedivit, nec tenebatur impedire: rationem dat universalem, nempe, quando quis potest impedire, & non impedit, est causa indirecta; v. g. si quis non claudat fenestram, dicitur causa, quod imber ingreditur. Absolutè tamen Deus non est causa peccati, quia non est causa per se, vel cui possit effectus imputari, propter obligationem impediendi, prout magis in tract. de Peccatis declarabitur.

64. Obijc. 2. Huiusmodi effectus non procedit à voluntate illius, qui non impedivit, nec physice, nec moraliter: non moraliter, quia non imputatur: non physice, quia non habet connexionem physicam, sed solum per accidens coniungitur. 2. Satis esse, quod à voluntate illius proveniat media omissione, tanquam removens causam prohibentem, quod genus causæ verum velis revocare ad causam physicam, vel morale nihil interest.

65. Hinc

65. Hinc à fortiori deducitur, Effectum seu negativum seu positivum, qui sequitur ex positiva actione mea, si praevideatur secuturus, esto non intendatur, nec adsit obligatio intermitendi, talem, inquam, effectum esse mihi voluntarium, prout etiam agnoscit Vasquez, v. g. praevidetur ex meo somno secuturam omissionem Sacri diei profecto, est mihi omisio sacri voluntaria, licet non imputetur in culpam.

CONTROVERSIA IV.

Utrum Voluntarium Interpretativum sufficiat ad honestandum alterius actum, & quando.

66. Distinguitur Voluntarium ulterius in Voluntarium formaliter, & voluntarium interpretativum: quae divisio ad plures resolutiones practicas utilis est.

Voluntarium formaliter est illud omne, quod à mea Voluntate pendet, sive per actum positivum, sive per omissionem. Interpretativum est, quod quidem hic & nunc non pendet ex mea Voluntate verè & propriè, cò quòd eodem modo fieret ceteris omnibus positis, etiam si ego nullum habere voluntatis actum, pendet tamen, seu fit dependenter ab aliqua interpretatione & praesumptione de mea voluntate.

67. Hæc porro Interpretatio potest esse duplex, conditionata, & absoluta. Conditionata dici potest illa, quando quis non quidem interpretatur, me defacto habere Voluntatem, ut hoc ab ipso fiat, interpretatur tamen, me facillè in illius actionem consensurum, si ab ipso interrogaretur: v. g. Religiosus vellet visitare amicum, & non potest, vel ex pudore non audet petere facultatem à Prælo, tunc si prudenter arbitretur, superiorem facillè consensurum, si facultatem peteret, & hac facultate conditionatà præsumptà visitet amicum, potest illa visitatio dici esse Superiorem voluntaria interpretativè sub conditione. Verum, ut bene advertunt DD. speciatim Card. de Lugo, talis actus nec est, nec dici debet simpliciter & absolute Superiori voluntarius interpretativè: quia reverà defacto non consentit, sed consentiret, si interrogaretur. Potest tamen hoc voluntarium interpretativum sub conditione aliquando in praxi servire: v. g. quando famulus expendit aliquas pecunias domini in utilitatem suam, prudenter iudicans, dominum facillè præbiturum consensum, si interrogaretur: & sic excusabitur à furto, quia non censetur accipere invito domino, quod etiam agnovit Iure Consultus in lege inter omnes 47. §. rectè. ff. de furtis. Rectè, inquit, dictum est, qui putavit, se domini voluntate rem attingere, non esse furem; quid enim dolo fecit, qui putat, dominum consensurum fuisse? His tamen non obstantibus

68. Dicendum est, non esse univalem regulam, quòd quis possit sine vitio furti usurpare rem alienam, si prudenter opinetur, dominum consensurum esse, si interrogaretur. Pro quo

Advertendum est, posse quidem dominum ita comparatum esse, ut, si rogaretur, consentiret, defacto tamen positivè resistere, & nolle rem suam usurpari à famulo, nisi prius expressè petita licentià; & hoc quidem iterum duplici modo accidere potest. Primò, si dominus velit famulo tantummodo reddere inhonestum modum expendendi rem domini, hoc est, expendendi non petita licentià, ita tamen, ut nolit ipsam substantiam usurpationis reddere inhonestam inhonestate furti. Secundo modo, si non solum usurpationis modum jam dictum, sed etiam ipsam substantiam usurpationis velit reddere inhonestam inhonestate furti, quod utique frequenter fieri summà ratione potest, v. g. propter abusum, qui alioquin sequeretur, nisi dominus tali modo in virtus esset. Si primo modo se habeat voluntas domini, tunc usurpatio adhuc excusatur à ratione furti, & obligatione restituendi, quia sola non petitio licentiæ est contra Voluntatem domini, non verò usurpatio quoad substantiam. Si verò se habeat secundo modo, committeretur furtum, ob rationem contrariam: quapropter non sufficit præcisè consensus sub conditione futurus, sed insuper requiritur negatio voluntatis dicto modo resistens.

69. Ex hac distinctione, quam tradit Thomas Sanchez l. 7. Decal. c. 19. n. 15. vtilem valde doctrinam deducit Card. de Lugo disp. 3. de Just. §. 7. n. 124. & seqq. nempe in Religionibus, in quibus disciplina viget, & religiosa paupertas strictè observatur, omninò præsumendum esse, quòd Prælatus non solum quoad modum, sed etiam quoad substantiam sit invitatus, ne subditi sine licentià usurpent, vel disponant de rebus monasterij; immò laudar Suarezium, asserentem, in Religione observante debere Prælatum sub gravi peccato non habere talem voluntatem vel consensum, ut res usurpentur non petita licentià; alioquin enervaretur, & dissolveretur Religiosa disciplina, ac votum Paupertatis esset observantia de solo titulo. Ex his facillè colligitur, quomodo possint Religiosi peccare contra obedientiam, & non contra paupertatem, nempe si habeant voluntatem, qualem primo loco declaravi n. 3. §. advertendum est. de quo videri potest Suarez apud Lugo. Et hæc de voluntario Interpretativo conditionato.

70. Voluntarium Interpretativum absolutum est, quando ex quibusdam signis & circumstantijs rationabiliter interpretor, alterum habere voluntatem aut consensum, ut à me hoc fiat: v. g. Si Pater spectante, & nullo modo contradicente, aut displicentiæ signum ostendente filio, contrahat sponsalia nomine filij, contractus censetur filio voluntarius interpretativè, cò quòd prudenter

prudenter judicetur habere consensum, quem manifestat, non contradicendo, etsi facile posset, & in causa tam ardua deberet contradicere, si non consentiret.

71. Differt autem hoc Voluntarium Interpretativum à Voluntario formali, quod non procedat à Voluntate alterius tanquam ab actu imperante, sed solum tanquam ab objecto movente voluntatem interpretantis.

Voluntarium Interpretativum, licet quandoque sufficiat ad hoc, ut interpretantis actus honestus sit, etiam si defacto non existerit in altero hujusmodi voluntas, qualem quis interpretabatur adesse, in illis tamen casibus, in quibus valor actus dependet à voluntate alterius, non sufficit ejusmodi interpretatio, sed debet consensus revera existisse, & exterius ex aliquo signo colligi: v. g. ad contrahendum matrimonium nomine alterius, ad audiendas confessiones ex Jurisdictione ab alio concessa. Ratio discriminis hæc mihi esse videtur. Quando requiritur consensus Superioris præcisè ad honestandum actum subditi, v. g. ad vtendum libro, pro tali, inquam, casu sufficere potest voluntas conditionatè exsistura, quia spectando finem, propter quem ad hujusmodi actuum honestatem voluntas Superioris principaliter requiritur, & instituta est ejusdem potestas ad honestandos vel inhonestandos actus subditi, adhuc potest ille finis sufficienter obtineri, etiam si sufficiat voluntas interpretativa exsistura, si interrogaretur; nam potissima ratio instituendæ potestatis gubernativæ jam descriptæ erat, ut voluntas Superioris esset norma & regula actionum subditi, ut recto ordine fierent pleraque, qualiter non fierent, si singuli proprio judicio regerentur. Atqui quando subditus prudenter judicat, Superiorem consensurum, si interrogaretur, jam non suo se judicio ultimatè regit, sed pro norma attendit voluntatem Superioris, quam si putaret fore adversam suæ voluntati, illi se accommodaret. Immo, cum casus frequenter occurrant, quibus Superior opportunè conveniri non possit, & consuli, neque tamen interea sine incommodo possit actio differri, donec consensus haberi possit, expediebat esse licitum subdito, interpretari voluntatem Superioris.

72. Econtrario verò, quando voluntas alterius requiritur ad validandum actum, tunc requiritur voluntas, quæ aliquando exsisterit, saltem juris fictione, aliquo modo influens in actum, qui debet inde validari. Ratio est, quia debet alteri suo nomine operanti conferri habilitas ad talem actum celebrandum; & sic voluntas alterius non est mera norma & regula, sed est causa potestatis & virtutis in altero ad agendum aliquid, ita, ut perinde sit, ac si alter ipse egisset, & per consequens alter inde non minus obligetur, quam si ipse actum fecisset. Quid ergo mirum est, si in his casibus requiratur existentia consensus, vel de præfenti, vel de præterito?

73. Objicies. Qui alterius negotia gerit, altero penitus ignaro, nec mandante, facit actus validos: item, qui utitur occultâ compensatione, transfert dominium in se validè, & tamen sine consensu alterius: denique famulus potest quandoque pecuniam domini in suam utilitatem convertere, & consequenter validè alienare, ex solo consensu domini conditionatè exsisturo, ut suprà dictum est: ergo regula tradita non est universalis.

74. Respondetur ad singula. Ad primum, illum, qui est negotiorum gestor, prout juridicè differt à mandatorio expresse, plerosque contractus suo proprio nomine celebrare, & per illos principaliter obligari: conceditur tamen illi à Jure actio negotiorum gestorum, quæ convenire potest illum, cujus negotium utiliter gessit, & quæ petit, ut se indemnem servet. Quodsi aliquos contractus facit alterius nomine, tunc voluntas ignorantis suppletur à voluntate Magistratus, quæ approbavit leges de negotijs alterius nomine gestis, quod ipsum multoties contingit in tutore contrahente nomine pupilli.

75. Ad secundum & tertium respondeo cum Card. de Lugo, in illis casibus sufficere, quod dominus non sit rationabiliter invitatus: hoc enim posito, nulla adest voluntas rationabiliter repugnans, & per consequens respectu talis applicationis particularis rei alienæ, censetur illa bona esse derelicta, & in nullius bonis, adeoque sunt primò occupantis, nempe illius, qui utitur occultâ compensatione, dispositione &c. sicut quando quis est in extrema necessitate constitutus, tunc bona alterius sunt sibi & possidenti communia, ut indigens possit ea sibi applicare, quantum opus est ad sublevandam præsentem necessitatem, quæ applicatione factâ, fit dominus; & per consequens potest deinde in alios quoque transferre dominium, non ex voluntate prioris domini, sed suâ propriâ.

CONTROVERSIA V.

Utrum Concupiscentia causet Involuntarium, aut diminuat Voluntarium.

76. Notandum 1. Concupiscentiam, de qua hic sermo, nempe passionem vehementem, residentem in parte sensitiva, & inclinatem ad amandum aliquod objectum, hanc, inquam, non esse plenè sub potestate nostra, quæ admodum est voluntas rationalis; hæc enim potest se vi libertatis inclinare in objectum aliquod, in cujus oppositum vehementi amore fertur: sic avarus potest se resolvere ad restituendum alienum ex honestate Justitiæ, non obstante vehementissimâ propensione ad divitias. Non ita, inquam, est semper in potestate nostra concupiscentia sensitiva, quod observavit Aristoteles 1. Eth. c. ult. Quemadmodum, inquit, resoluta con-

paris membra, si ad dexteram movere volueris, e contrario ad sinistram deferuntur, sic quoque in animis contingit, in contrarias enim partes incontinentium appetitiones feruntur. Colligitur hoc tum à paritate sensuum externorum, tum à multiplici experientia: concutiuntur enim quorundam obsectorum apprehensionibus homines, ceteroquin alienissimi à tali vitio: & quando quis recordatur medicamenti sumpti vel sumendi, sentit nauseam, quantumvis reluctetur, & sciat non esse jam præsentem potionem illam quam horret.

77. Notandum 2. Hanc Concupiscentiam inferre magnam vim parti superiori; sapè enim reluctante conscientia vincimur, ut amplectamur, quod voluntas simplici displicentia graviter abominatur. Ratio autem, cur Concupiscentia sapius prævaleat, est hæc, quia adeo tenaciter ferretur in objectum à sensu interno instar magni boni representatum, ut si pars inferior jubeatur abstinere, causetur magnus dolor & molestia, impedibilis, etiamsi parti superiori efficaciter placeat oppositum. Mittunt, exempli causâ, parentes filium ad bellum spe promotionis, nihilominus cum valedicunt, multis lacrymis dolorem produunt, qui causatur ab appetitu inferiore, cui sensus internus repræsentat præsentiam & securitatem filij instar magni boni, quo vident se privati per dimissionem.

78. Notandum 3. Ex eo quòd dolor sit quid maxime inimicum naturæ, hinc esse, quòd minuat facultatem eligendi illud, cujus electio conjuncta est cum illo dolore. Et quidem hac diminutio libertatis, potest aliquando tanta esse, ut videatur tollere omnino libertatem, quod etiam leges civiles agnoscunt. Nam quando quis ex legitimis indicijis torture subiectus crimen confitetur, illa confessio non censetur esse plenè libera, sed coacta, adeoque necdum sufficiens probatio delicti, nisi reus post viginti quatuor horas confessionem confirmet, tunc enim videtur mora sufficiens intercurrisse, quâ potuerit se à vehementi doloris apprehensione liberare, & cum plena libertate confessionem retractare, si forte ad evitandos cruciatus fictè confessus esset.

79. Dices. Si dolor hujusmodi minuit libertatem, sequitur, actum heroicum virtutis, conjunctum cum tali dolore, fore minus liberum, adeoque minus meritorium, quàm si sine hujusmodi dolore factus esset, v. g. si quis abstinere à voluptate, ad quam ex vehementi concupiscentia rapiebatur: consequens est absurdum, cum potius augeatur meritum. 80. Negando secundam sequelam: tunc enim solum diminutio libertatis minuit meritum, quando per illam minuitur difficultas eliciendi illum actum: si verò augeatur difficultas, tunc potius augeat meritum. Ex dictis

80. Inferitur, quòd Concupiscentia non semper minuat, immò quandoque augeat libertatem. Potest enim contingere, ut in objecto

repræsentetur ab intellectu bonum honestatis valde clarè, bonum verò oppositum tanquam exiguum, ac vix sufficiens ad movendum, quo casu modica esset libertas in prosecutione honestatis, quia propemodum esset necessitas; si tamen accedat concupiscentia magis inclinans in oppositum, jam redditur voluntas magis indifferens, adeoque magis libera. Nemo sanè videtur esse, qui non experiatur objecta quædam levissimè allicientia, dum sedatas habet passionibus, his verò concitatis, vehementer trahentia: ergo negari non potest, concupiscentiæ vim ita attemperari posse, ut libertatem modò minuat, modò augeat.

81. Quæritur autem hîc præcipuè, an Concupiscentia causset *Involuntarium secundum quid*; quando voluntas illud objectum simpliciter vult & amplectitur, sed non sine quadam notabili resistèntia & renisù ejusdem voluntatis.

Prima sententia est Platonis, aliorumque apud Salas, item Petri de Lorca, Curielis, Martinez, apud Granadum: Concupiscentiam causare *Involuntarium secundum quid*, in casu quo cum renitentia voluntatis, & inefficaci quadam displicentia facimus aliquid ex concupiscentia, v. g. qui comedit carnes die vetito cum quadam tristitia de violato præcepto.

82. Secunda Sententia negat univèrsim, (secluso omni metu) Concupiscentiam causare *Involuntarium secundum quid*. Ita cum S. Thoma ceteri Theologi.

83. Dixi. *Secluso omni metu*. Nam ut benè notavit Card. Pallavicinus, mediante quodam metu, potest concupiscentia causare *Involuntarium secundum quid*: v. g. quando Concupiscentia ita circa bonum versatur, ut reflexè deprehendamus, nos sine gravi dolore animi non posse illo carere; & tunc si præcisè metu doloris incurrendi prosequimur objectum cum renitentia, concedi quidem potest intervenire *Involuntarium secundum quid*, sed hoctribuendum potius est metui (de quo paulò post) quàm concupiscentiæ. Secluso itaque metu,

84. Dicendum est, Concupiscentiam non causare *Involuntarium secundum quid*. Probat Conclufio. Qui operatur ex concupiscentia, ita fertur in objectum, ut non obstantibus malis, quæ objectum secum trahit, & quæ displicent, malit objecto frui incurrendo simul illa mala quæ displicent, quàm permanere in pristino statu, quo caruit illo bono, & illis malis annexis: atqui hac ratione objectum non est illi specialiter *involuntarium secundum quid*: ergo concupiscentia non causat *involuntarium secundum quid*. Dixi; *specialiter*: nam generalem quandam *Involuntarietatem* non nego, neque authores secundæ sententiæ negarent, qualem cum Pallavicino & Esparza supra diximus inesse omni exercitio libero, quatenus semper inest objecto aliquid, quo possemus ab ejus prosecutione absterri: & fortassis authores primæ senten-

tia plus non voluerunt. Declaratur major propositio in exemplo jam supra allato. Parentes mittentes filium ad bellum spe promotionis, et si doleant de ejus absentia, & discessu, malunt tamen filium ire ad occasiones emergendi, & sic ejus absentiam tolerare, quam filium domi in pristino statu retinere: sic se habet, qui ex vehementi desiderio sanitatis sumit amaram medicinam: qui ex vehementi passione vult sumere vindictam de inimico, aut obsecris amoribus indulgere, non obstantibus gravium incommodorum periculis, quæ se videri incursum. Minor verò probatur. Nam illud solum rectè dicitur Involuntarium secundum quid specialiter, & stricto modo, quod fit contra voluntatem præsentem, quæ quis veller manere in pristino statu, & carere tali operatione si posset, sed quia non potest, nisi incurrendo majus malum, quam quod affert operatio, ideo ad evitandum majus malum operatur: tunc enim licet operatio sit simpliciter voluntaria, quia procedit à voluntate, & quidem liberâ, est tamen aliquantulum involuntaria, quia est contra voluntatem quantum est ex se efficacem, & quæ detestatur aliquid simpliciter involuntarium, scilicet: esse positum in illis circumstantiis & angustijs, ut suum statum pristinum retinere non possit, etsi maxime veller. Hoc ergo requirimus ad Involuntarium secundum quid specialiter & strictè sumptum; & hoc non reperitur in eo, qui operatur præcisè ex concupiscentia, reperitur autem in eo qui operatur ex metu tum resistentia, ut seq. Contr. dicitur.

CONTROVERSIA VI.

Utrum Metus causset Involuntarium.

85. **M**etus potest dupliciter causare electionem alicujus rei. Primò ita, ut non interveniat aliud motivum, propter quod operemur etiam absente metu. Secundò ita ut simul interveniat & concurrat aliud motivum, prout fit, quando quis ad vitandam mortem comedit cibum, quem tamen etiam ob voluptatem sumit, item si quis & metu Gehennæ, & amore virtutis servat præcepta. In præsentī controversiā accipitur Metus in primo sensu.

86. Quæritur itaque 1. Utrum quæ fiunt ex metu, sint simpliciter Voluntaria, vel simpliciter Involuntaria. Advertendum est cum Suarez, terminum *Simpliciter*, esse æquivocum, & varijs modis sumi. Primò pro eo, quod excludit omne contrarium; quo sensu dicitur Deus *simpliciter* perfectus, & perfectiones divinæ dicuntur esse perfectiones *simpliciter*, hoc est, nullam admittentes imperfectionem. Secundò sumitur pro eo, quod plus habet de vno contrariorum quam de altero: sic dicitur arthiops esse simpliciter niger, quamvis secundum dentes sit albus. Tertiò sumitur pro eo, quod consideratur secun-

dum se, præcisè circumstantijs facientibus aliam denominationem: sic dicitur Materia prima *simpliciter* esse Ens incompletum, etiam tunc, quando est completa per formam. In præsentī sumitur secundo modo.

87. Dicendum 1. Omnis actio ex metu facta, est simpliciter voluntaria. Probat et definitione Voluntarij, quæ tota convenit actioni ex metu factæ; est enim à voluntate cum cognitione, ut supra declaratum est. Confirmatur. Nam quæ ex metu volumus, cum possumus nolle, hoc ipso magis volumus quam nolumus.

88. Objic. 1. Aristoteles 3. *Eth. c. 1.* asserens ea quæ fiunt ex metu, non fieri sponte, hoc est, voluntariè simpliciter, sed simpliciter inviti. 2. Aristotelem accepisse *Voluntarium simpliciter* pro voluntario perfectò, excludente omnem involuntarietatem: item pro eo quod non supponit aliquid simpliciter involuntarium, ut supponit actio facta ex metu. pro quo

89. Objic. 2. Quando mercator metu naufragij projicit merces, tunc intervenit aliquid simpliciter Involuntarium, scilicet: esse contractum in eas angustias, & necessitatem disjunctionis, ut ex duobus malis vnum sit eligendum, scilicet vel jactura mercium, vel vitæ: ergo metus causat Involuntarium simpliciter. Nego consequentiam: hæc enim necessitas ad disjunctionem, non causatur à metu, sed à metu præsupponitur aliunde causata, & metus causat projectionem, quæ licet secundum se spectata sit mala, est tamen in his circumstantijs bona & utilis ad vitandum majus malum, & ut sic est voluntaria.

90. Quæritur 2. Utrum Metus causset saltem secundum quid Involuntarium. Affirmant Theologi communiter. quæ sententia vera quidem est in sensu quo à DD. asseritur, & considerando casus quibus conclusionem declarant: metaphysicè tamen rem examinando, cum distinctione procedendum est. Itaque

Notandum primò: Metum esse de aliquo malo imminente, nisi fiat aliqua actio quæ ex metu eligitur ad illud malum declinandum. Porro hæc imminetia illius mali, aliquando provenit & est instituta ab aliqua lege seu naturali, seu divina, seu humana, quæ nempe huiusmodi malum annectitur omissioni alicujus actionis in eum finem, ut metu illius mali homines inducantur ad huiusmodi actionem exercendam, & hoc ideo faciunt leges (vocanturque Pœnales) quia huiusmodi actionem tanquam valde promotivam felicitatis humanæ intendunt, quam tamen raritis obtinerent, nisi homines metu pœnarum inducerentur. Sic lex naturalis & divina annectit peccato mortali pœnam æternam; intemperantiæ v.g. annectit brevitatē vitæ, sinistra valetudinem, &c. Lex humana annectit homicidio pœnam Rotæ, furto pœnam suspendij, & sic de alijs. Metus itaque proveniens ex tali malo, ver-

fatut inter duo mala opposita bonis per se, hoc est vi legis communis impossibilibus; vt in exemplis allatis, bonum quod quis quareret in actu prohibito, non est coniungibile cum carentia pœnæ æternæ, bonum homicidij non est coniungibile cum quæta vita &c.

91. Aliquando verò imminetia mali est casualis & accidentalis, & tunc metus inde proveniens versatur inter duo mala opposita bonis per se composibilibus, ac solùm per accidens, præter opinionem hic & nunc impossibilibus: v.g. quando mercator projicit merces in periculo naufragij ad exonerandam navim & vitam conservandam.

92. Notandum 2. Metum aliquando esse causam adequatam actionis, ita quidem, vt actio non fieret hic & nunc ex alio motivo, si metus non adesset; aliquando verò esse causam tantum inadeguatam, eò quòd concurrat aliud motivum, quòd etiam absente metu moveret, v.g. qui metu inedia comedit cibum sapidum, sed ita, vt comederet etiam absente metu inedia, nempe propter saporem.

93. Notandum 3. Aliquando contingere vt actio aliqua ita fiat ex metu, vt hocipso desinat habere illam malitiam, & esse materia displicentia, prout esset, si hic, & nunc non subfisteret metui: v.g. ager iubetur metu mortis comedere carnes die Veneris, talis comestio non habet malitiam peccati, quam haberet, si non esset necessaria ad vitandam mortem.

94. Notandum 4. Cum Granado, Lugone, Arriaga, Pallavicino, Esparza, & ex mente S. Thomæ, ad hoc vt actio ex metu facta dicatur esse specialiter secundum quid Involuntaria, non esse satis quòd aliquantulum sit molesta, & materia tristitia, alioquin etiam Concupiscentia sæpè causaret Involuntarium secundum quid, sed debere apprehendi vt damnosam potius quàm lucrosam, hoc est, potius diminutivam felicitatis quàm promotivam ejusdem. Et hoc est discrimen jam supra indicatum, inter actionem quæ fit ex metu, & quæ fit ex Concupiscentia. Nam qui operatur ex Concupiscentia, tamen patiatur aliquam molestiam, nihilominus operatur cum iucunditate & gaudio, quia apprehendit suam actionem vt lucrativam & promotivam felicitatis quam sibi præfixit. Non ita se communiter habent, qui operantur ex metu, sed potius tristantur de actione tanquam damnosa: quando enim mercator projicit merces, licet subeat minus malum, vt evitet majus, absolute tamen existimat se damnum pati, quia scilicet prius & vitam & merces possidebat quietè, cum probabili spe possidendi deinceps; nunc autem præter expectationem debet se spoliare mercibus, & sic diminuerè suam felicitatem, & de hoc tristatur: atque hæc tristitia arguit Involuntarium secundum quid. His observatis, facile erit præsentì quæstioni satisfacere.

95. DICO itaque primò. Actio facta ex metu à lege introducto, juxta primum *Notandum*, per se loquendo non causat Involuntarium secundum quid, strictè & specialiter acceptum. Probatur. Per se loquendo hujusmodi actio cognoscitur ab operante vt utilis ad promovendam felicitatem suam: ergo non displicet tanquam esset damnosa & diminuens felicitatem jam aliquo modo possessam.

96. Confirmatur. Nam per se loquendo operans cognoscit, vi legis non posse vtrumque malum evitari, & hoc quidem antecederet ad eventum illum, in quo agens hic & nunc necessitatur ad alterutrum eligendum: ergo cognoscit bona opposita esse simul impossibilia, nec vnquam illa possedit in spe: ergo non tristatur de actione tanquam de jactura bonorum, dum videt se eligere minus malum ad vitandum majus malum. adhibeantur exempla superius posita, & apparebit rem ita se habere.

97. DICO 2. Per accidens tamen contingere potest, vt etiam ex hujusmodi metu causetur Involuntarium secundum quid. Probatur. Nam per accidens fieri potest, vt hujusmodi operatio apprehendatur ab operante vt damnosa: v.g. si præter expectationem exigantur à subditis contributiones, sub gravi pœna, etiam ab eo subdito, qui jam constituerat discedere ex provincia, & mutare domicilium, ita vt ex hujusmodi contributionum utilitate nullum fructum sit percepturus. In similibus casibus per hujusmodi exactionem diminuuntur bona possessa quietè, & cum spe possidendi deinceps, & tamen præter opinionem cogitur ea diminuere, præcisè ad cavendam majorem pœnam, vt g. violentæ executionis: ergo hujusmodi actio non minus erit Involuntaria secundum quid, quàm projectio mercium ex metu naufragij.

98. DICO 3. Quando metus non est causa adequata operationis, non admiscetur Involuntarium secundum quid. Probatur, quia actio nihilominus fieret ex alio motivo: ergo non displicet vt diminutiva felicitatis præfixæ, quin potius ad eam augendam ex alio motivo ordinatur, vt consideranti facile apparebit.

99. DICO 4. Neque admiscetur Involuntarium in casu *Notandi tertij*: Patet manifestè. Quia in illo casu operatio caret illà malitià, propter quam posset displicere, nempe quatenus esset violatio præcepti. Caterùm, si consideraretur illa operatio vt impeditiva magni meriti, tunc jam versaremur extra casum, hæc enim malitia non tolleretur ab objecto metus, vt patet.

100. DICO 5. Operatio facta ex metu proveniente ex Casu & eventu fortuito, est Involuntaria secundum quid. Hoc intendunt communiter Theologi. Probatur. Quia hujusmodi operatio causat tristitiam in tantum, in

quantum apprehenditur ut damnosum, & diminutiva felicitatis, eligiturque precise ad vitandum majus malum, ergo nihil deest illi ad rationem Involuntarii secundum quid.

CONTROVERSIA VII.

Quandonam, & qualis Ignorantia possit causare Involuntarium.

101. Cum Voluntarium in duobus consistat, nimirum ut sit ab intrinseco, & ut sit ex cognitione, sequitur, ex duplici capite deficere posse. Hucusque de primo capite dictum est, quomodo defectus proveniat ex eo, quod sit aliquando ab extrinseco; nunc videndum, quomodo deficere possit ex defectu cognitionis, seu ex ignorantia alicujus circumstantiae in objecto, quod ceteroquin est voluntarium.

102. Ignorantia autem ad praesentem questionem pertinens, dividitur à S. Thoma, ceterisque Theologis, in Antecedentem, Concomitantem, & Consequentem.

Ignorantia antecedens dicitur illa, quae hinc & nunc est inevitabilis seu inculpabilis, eo quod nulla sit obligatio eam tollendi, & est simul causa operationis, ita ut sine illa ignorantia, seu, quod idem est, cum opposita scientia, non fieret: v. g. qui comedit cibum dulcem, sed venenatum, non comesturus, si sciret esse venenatum.

103. Ignorantia concomitans est, quae nec est causa actionis, nec etiam est culpabilis, pertinet tamen ad aliquam circumstantiam actionis, quae si cognita fuisset, potuisset quidem absterre ab actione, defacto tamen non absterruisset, etiam si cognita fuisset: v. g. si quis militum comedat carnes, ignarus esse diem veneris, sed etiam si sciret, adhuc comederet, quamvis tunc habuisset motivum idoneum ad abstinendum. Haec Ignorantia dicitur *Concomitans*, non quasi non praecedat pro priori naturae actum Voluntas, revera enim praecedit; quia actus voluntatis supponit pro priori naturae ignorantiam omnium illorum motivorum, quae illi antecedenter non proponuntur, ut constabit ex dicendis de Libertate; sed ideo dicitur *Concomitans*, quia non ita est causa comestionis, ut sine illa non fieret, fieret enim adhuc, sed ex volitione supponente pro priori Naturae cognitionem obligationis jejnandi.

104. Ignorantia Consequens est, quae est effectus alicujus culpabilis voluntatis, vel directae, quae studio impeditur scientia alicujus circumstantiae, ne illam cognoscens absterreatur ab operatione, sive, ut illi actio non sit tam culpabilis in quam propendet voluntas: diciturque *Ignorantia affectata*: vel volitionis indirectae, quatenus quis non curat inquirere statum & circumstantias objecti, licet deberet: diciturque *Ignorantia negligens*, non tamen affectata.

105. Advertit hic Arriaga d. 12. s. 1. Ignorantiam culpabilem quandoque esse causam actionis, quae non poneretur, si ignorantia abesset; aliquando tamen participare aliquid de Ignorantia Concomitante; quando nimirum ita non est non esse circumstantias objecti, ut etiam si scirem, essem tamen operaturus. Hanc Ignorantiam Lugo & alij non distinguunt à Concomitante: ad hanc enim non requirunt Inculpabilitatem: sed haec erit quaestio de nomine.

106. Advertendum in praesenti est, Ignorantiam invincibilem non accipi à Theologis in sensu stricto, pro ea, quam non possum villo modo depellere, sed pro ea, quam saltem non teneo depellere, nempe quando mihi nulla occurrat probabilis ratio, quod obliget adhibere majorem diligentiam & inquisitionem veritatis intelligenda, quod quidem varijs modis contingere potest. Primo, si nulla mihi suspicio suboriatur erroris. Secundo, cum quidem possum suspicari de opposito, sed tamen hic & nunc eam adhibui diligentiam, quae sufficit, ut possum formare probabile iudicium de re, etiam si forte illud iudicium sit falsum. Tercio, quando quidem suspicor, sed sine sufficienti probabilitate, neque habeo occasionem intelligendi ullam probabilitatem sine magno meo incommodo, cum quo incommodo non videtur Deus, aut Ecclesia, aut alius Superior voluisse obligare ad investigandam veritatem.

§. I.

De Ignorantia Antecedente.

107. Queritur primo, quid causet Ignorantiam antecedens. Certum est, quod ad minimum causet *Nonvoluntarium*, hoc est, actum cujus aliqua circumstantia non est voluntaria, eo quod non sit praecognita. De cetero

Communis est sententia, asserens sine limitatione, quod Ignorantia antecedens causet Involuntarium simpliciter, hoc est, actum, qui sit contra inclinationem, non quidem praesentem, dum ponitur actus, sed quae praesens esset, si ignorantia abesset, vocaturque inclinatio habitualis vel praesumpta, seu interpretativa.

108. DICO tamen primo, posse contingere casum, quo Ignorantia antecedens non causet Involuntarium. Declaratur. Ponamus hominem vulgaris pietatis, qui quidem optaret, non existere praecceptum jejuniij, supposito tamen quod existat, sit paratus jejunare, si recorderet diei: ponamus deinde eundem hominem ex invincibili ignorantia comedere carnes, ac postea deprehendere materiale transgressionem jejuniij, sine formali culpa commissam; neque ideo tristari, sed potius gaudere gaudio speculativo, quod ignoranter comederit, quod gaudium in hac materia non est inhonestum. In hoc casu Ignorantia est antecedens, nam sine illa non fuisset posita comestio carnis; est praeterea inculpabilis, ut ponitur in casu; & tamen eadem comestio

fitio non est vllatenus involuntaria, quod vltcrius sic probatur. Tali homini solummodo displicet antecederet comestio cum scientia jejuniij, seu, comestio formaliter peccaminosa: atqui hæc non ponitur cum ignorantia jejuniij, quin potius per ignorantiam impeditur hoc prædicatum: esse formaliter peccaminosam: ergo nihil ponitur contra inclinationem illius hominis, quin potius est iuxta illius inclinationem.

109. Confirmatur ex doctrina Philosophi. Quando quid sit, quod est simpliciter Involuntarium, depulsa ignorantia dolemus de actu præterito, nisi mutentur circumstantiæ, ob quas postea placeat, quod antè displicuit: quapropter dolor subsequens, est quasi Cynosura & regula, ex qua, per se loquendo, colligi possit, an involuntarium sit, quod ex ignorantia gestum est: atqui in casu nostro non subsequitur dolor: ergo non adest signum vllius involuntarij.

110. Respondere conatur Arriaga, tunc quidem comestionem ipsam non esse involuntariam, esse tamen involuntariam negationem observantia legis: tamen enim ille homo non sit transgressus legem formaliter, legem tamen non observavit, hoc est, non elicit actum obedientiaæ aut temperantiaæ.

Verum huic responsioni locus præclusus est in ipso casu à me formato: posui enim, quod ille homo optaret nullum existare præceptum jejuniij, adeoque non desideraret habere occasionem ererendi obedientiam aut temperantiam ex præcepto, sed tantum horreat legem formaliter violare: ergo negatio observantia non est contra inclinationem antecedentem.

111. Responder aliter idem Arriaga cum Card. de Lugo, illum esum carnis nihilominus esse involuntarium, tamen postea de illo gaudeat, nec enim semper requiritur dolor subsequens: id quod exemplo declarant. Si filius occideret inculpabiliter & ex ignorantia patrem, qui tamen mox iterum resuscitaretur à mortuis, filius non doleret de occisione, & tamen esset illi involuntaria. Reddunt rationem à priori: quia vt actio dicatur involuntaria, sufficit esse contra inclinationem: vt verò causset dolorem, debet præterea afferre aliquod incommodum: & quia in casu posito nullum affertur incommodum, ideo non causatur dolor.

112. Sed contra primò. Nam, vt ostendi, comestio carnis non est contra vllam illius hominis inclinationem; sola enim illius inclinatio erit, non comedere carnes peccaminosæ; materialis autem transgressio, sine culpa formali, potius placeat; ergo necdū apparet ratio Involuntarij.

Contra 2. Quia exemplum allatum de occisione patris mox resuscitandi, non facit ad propolium. Non enim gauderet ille filius de occisione patris, sicut ille homo de comestione carnis, sed solum gauderet de resuscitatione. Quæro itaque. Vel occisio vna cum resuscitatione est contra inclinationem filij, vel non est. Si non

est; ergo non est involuntaria: si est: ergo deberet in hoc invenire aliquod malum detestabile: ergo jam adest objectum doloris, & doleret vt ponimus: ergo esset involuntaria: & haberetur discrimen cum comestione carnis.

113. Restat inquirenda regula cognoscendi, quandonam Ignorantia antecedens causset Involuntarium. Cardinalis Pallavicinus primum quidem in suis dictatis, deinde paulò aliter in suo libello, denique iterum aliter in suo Tomo de actib. Human. *diff. 4. q. 2. a. 7.* regulam vltimo loco sic tradit. Advertendum est, inquit; eum qui comedit carnes die veneris, & postea non habet displicentiam huius comestionis, non verè eas comedissee dependenter immediatè ab Ignorantia, sed ab hac vera cognitione. *Comestio carnis est delectabilis & vilis valetudini, neque in ea cognosco nunc aliquam prohibitionem: quocirca licitum est mihi illas comedere.* Hæc autem cognitio tota est vera, licet habeat pro objecto aliquam ignorantiam, hoc est negationem cognitionis de prohibitione, quæ negatio non diceretur ignorantia, nisi esset negatio cognitionis veræ, adeoque verè objectum esset prohibitum; sed stante prohibitione est Ignorantia. Caterum ille homo non ideo carnes comedit immediatè, quia non cognoscit id esse prohibitum, sed quia cognoscit se id non cognoscere, quæ cognitio reflexa est vera, atque adeo dependenter ab illa operatus est voluntariè, & non ex errore vel ignorantia. Eatenus verò si cognovisset prohibitionem non comedissee, quatenus tunc non haberet illam vltimam cognitionem veram & practicam. *Bonum est hic & nunc comedere carnes, quia sunt jucunda & vtilis sanitati, & nulla apparet prohibitio in hoc objecto: quapropter hoc objectum hic & nunc est licitum.* Quando igitur ille cognoscit se comedissee carnes die Veneris, nihil cognoscit contrarium huic cognitioni dependenter à qua comedit: adhuc enim videt, quod ipse tunc non cognoscebat aliquam prohibitionem; ac propterea quod objectum erat sibi tunc licitum. Hæc ille.

114. Ex huius ergo Authoris mente hæc regula statuenda esset. Tunc solum & semper Ignorantia antecedens causset Involuntarium, quando causset actionem immediatè, non item quando causset actionem mediante tali iudicio, quo iudico, hoc objectum hic & nunc nullam habere malitiam.

115. Existimo hanc regulam non esse satis vniuersalem & claram. Ostendam enim primò, posse Ignorantiam antecedentem etiam esse causam immediatam talis comestionis, quin comestio sit involuntaria. Ostendam secundò, potuisse illam ignorantiam esse causam mediatam illius comestionis, etiam tunc, quando comestio foret involuntaria. Ostendam tertio, posse aliam clariorem regulam tradi.

116. Primum, sic ostendo. Posset contingere, vt huiusmodi homo absque vlllo iudicio practico dirigente honestatem actus, comederet

carnes die veneris, ex impetu & inconsiderantia; quo casu adhuc illa comestio & materialis transgressio non esset involuntaria, & ignorantia prohibitionis esset causa immediata comestionis, nam ille homo est ita constitutus (vt ponimus) vt si sciret prohibitionem, non comederet.

117. Secundum sic ostendo, & assumo hominem pijissimum, qui etiam doleat de materiali transgressione jejuniij, & hunc pono comedere carnes ex ignorantia prohibitionis, & quidem ex prauo iudicio practico, quod posuit Card. Palavicinus, quo videlicet iudicat, hic & nunc hanc comestionem esse honestam, quia ipse nullam cognoscit prohibitionem; quod iudicium, iuxta Cardinalem, causatur immediatè ab ignorantia prohibitionis, & ipsum causat immediatè comestionem carnis: atqui hæc comestio carnis adhuc esset illi involuntaria, quia esset contra inclinationem, quâ vellet, ne quidem materialiter transgressus esse legem: ergo etiam mediatè potest ab ignorantia antecedente causari Involuntarium.

118. Denique, illi qui occidit suum patrem ex ignorantia antecedente, etiam intermediente dictamine practico, quo iudicat, jaculationem esse sibi licitam, quia nulla apparet illius prohibitio, omnium iudicio dicitur occisio esse involuntaria: ergo regula relata non declarat intentum: eâ ergo sepositâ, alia nobis querenda est.

119. DICO 2. Tunc semper Ignorantia antecedens causat Involuntarium, quando scientia opposita ignorantia non constituit malitiam objectivam, propter quam vitandam omitteretur actus, si scientia adesset: sive: quando illa scientia invenit in actu totam malitiam adæquatè à se distinctam. Explico regulam exemplis. Occisio v. g. parentis ignoranter facta, est involuntaria filio amanti patrem, & causatur ab ignorantia antecedente, quia malum, quod ex parentis morte provenit filio, & propter quod non occidisset, si scientiam oppositam habuisset, illud, inquam, malum totum se tenet ex parte occisionis materialiter spectatæ, & est contradistinctum à scientia.

120. Econtra in eo, qui gaudet, quod ignoranter comederit carnes die jejuniij, ignorantia non causat involuntarium, quia malitia propter quam ille homo vitaret comestionem, includeret intrinsecè scientiam prohibitionis: ergo malum propter quod non comederet, non est adæquatè distinctum à Scientia opposita ignorantia, & per consequens, licet ignorantia causet illam comestionem, non tamen causat illam vt malam ignoranti, sed potius formaliter excludit malitiam.

121. Vterius, si quis valde pius doleret de comestione carnis, etiam prout est solummodo materialis transgressio, malitia de qua doleret, esset adæquatè distincta à scientia opposita ignorantia, & esset conjungibilis cum ignorantia: ergo talis comestio esset involuntaria.

§. II.

De Ignorantia Concomitante.

122. Exemplum commune est. Existimo sub dumeto latere cervum, cum sit meus inimicus, qui me fugiens ibi se abscondit: jaculor, & occido, fuissèmque occisurus, si scivissèm, esse inimicum, licet de hoc nihil cogitem dum jaculor: item comedo carnes die jejuniij, immemor obligationis, essèmque comesturus, etiam si memor obligationis essem. Queritur, quid hæc Ignorantia causet?

123. Et quidem, si loquamur de actu interno voluntatis, certum est, in priori causa causari illum actum quoad suam speciem ab ignorantia hac concomitante, tanquam conditione sine qua non esset positus ille actus, sed alius diversus: nam si scivissèm, esse meum inimicum, non dixissèm apud me: *volo jaculari cervum*: sed: *volo jaculari inimicum*. Loquendo verò de actu externo, de quo solo est præsens disputatio,

124. Dicendum est primò. Ignorantia concomitans neque causat Voluntarium neque Involuntarium. Probatur prima pars. Occiso in ratione homicidij non cognoscitur ab occidente: ergo procedit vt voluntaria, quia non procedit vt cognita, quod requiritur ad rationem voluntarij. Probatur etiam secunda pars. Illa materialis occisio inimici non est contra, sed potius iuxta inclinationem occidentis: ergo non est involuntaria.

125. Dicendum 2. Ignorantia concomitans causat Nonvoluntarium. Si enim abfuisset ignorantia, homicidium fuisset voluntarie positum, vt pote ex cognitione: ergo ignorantia remouet formam constitutivam Voluntarij: ergo causat negationem voluntarij, hoc est, vt actio homicidij sit Nonvoluntaria: & ideo talis non incurrit irregularitatem, multò minùs alias patitur homicidio constitutas.

§. III.

De Ignorantia Consequente.

129. Dicendum primò. Ignorantia affectata causat simpliciter Voluntarium. Ita cum S. Thoma Theologi. Probatur. Qui operatur ex tali ignorantia, eligit ipsam ignorantiam vt finem gratam, tamen prævideat ex ea securam aliam quam actionem, quæ, absente ignorantia, non esset futura, de cuius proinde eventu non dolet: ergo in ipsa ignorantia est voluntarius effectus.

Dices. Illud non est Voluntarium, quod non est ex cognitione: sed quod fit ex ignorantia, non fit ex cognitione: ergo non est voluntarium. Responderi potest primò, negando minorem. Nam licet non fiat ex cognitione certa, & fortè nec probabili, fit tamen ex cognitione dubia & suspicaci, quæ sufficit. R. 2. Esto non sit voluntarium physice, est tamen voluntarium

tarium moraliter & imputativè, quatenus ignorans voluntariè non vult adhibere media imperit illius effectus, deponendo ignorantiam, & quidem in hunc finem, ne impediatur actio.

127. Dicendum 2. Ignorantia non affectata, sed negligens, causat voluntarium moraliter & imputativè, physicè tamen causat involuntarium, & in hoc differt ab Ignorantia affectata quoad formalem effectum *Involuntarij*. Prima pars probatur, quia tales effectus imputantur ad culpam pro gravitate obligationis tollendi ignorantiam. Probatur secunda pars. Quia physicè loquendo, id quod in tali casu est voluntarium directè, non est ignorantia ipsa, sed carentia laboriose inquisitionis: hinc securè actione displicet tum actio tum ignorantia, quæ displicentia subsequens est signum *Involuntarij* secundum Aristotelem.

128. Dices, Theologos communiter cum S. Thoma docere, quod Ignorantia consequens causat tantum *Involuntarium* secundum quid. Hoc ideo dici, quia in materia *Voluntarij* Theologus potius attendit id, quod habet effectus in affirmatione morali, & imputativè, quam quod habet physicè.

129. In praxi prodest fecisse rem cum ignorantia non affectata, excusat enim à censuris, quia operans non censetur esse contumax, nec incurreret excommunicationem canonis, qui cum tali ignorantia percuteret Clericum.

§. IV.

De Inconsiderantia.

130. Inconsiderantia culpabilis tunc committitur, quando quis sciens se hic & nunc obligari ad distinctam cognitionem procurandam alicujus periculi, elicit actum quo dicat: *Nolo hoc considerare*. v. g. invitator ad prandium: incidit mihi suspicio periculi ladendæ temperantiæ, & adverte obligationem inquirendi, quinam alij sint futuri hospites, nolo tamen investigare, sed accedo inconsideratè, vt in simili narratur de adolescentem Proverb. 7.

Dubitatur primò, an Volitio non considerandi, possit stare pro illo instanti, quo committitur ipsa Inconsiderantia. Ratio dubitandi est, quia illa volitio non considerandi, jam videtur pro illo instanti supponere considerationem, quia non possum nunc nolle cogitare de Petro, quin hoc ipso cogitem de Petro, nihil enim possum nolle, quin cogitem de illo: ergo non possum nolle cogitare de Petro, quin cogitem de cognitione Petri; ergo etiam de ipso Petro.

131. Verum hæc ratio levis est, & facilè respondetur, adesse cognitionem confusam & generalem, non verò accuratam considerationem, quæ est objectum volitionis: alioquin dicendo: *Nolo facere examen de peccatis hodie commissis*: jam hoc ipso fecissem examen.

132. Alia ratio dubitandi posset esse ex quorundam Recentiorum principijs, quibus favet Card. Pallavicinus q. 2. a. 6. n. 111. quatenus docent, quod tam volitio quam nolitio considerandi, præsupponat pro priori naturæ negationem actualis accuratæ considerationis: ergo hæc negatio non est effectus illius volitionis pro hoc ipso instanti, sed solum pro sequenti. Propter hoc aliqui apud Salas docuere, nullam Inconsiderantiam posse esse voluntariam à voluntate præfente. Verum hujus doctrinæ examen ad Philosophos spectat, & huc non facit.

133. Dubitatur 2. In quonam differat Inconsiderantia ab Ignorantia. P. Arriaga disp. 13. s. 2. n. 8. vult, vel nihil differre, vel solum differre per hoc, quod Inconsiderantia supponat species in intellectu, quas non supponit Ignorantia.

134. Hoc tamen discrimen mihi non satisfacit. Imprimis enim potest aliquid fieri ex vera Ignorantia antecedente, absque vlla inconsiderantia, & tamen operans habere species objecti. accipio exemplum, quo in alium finem vitur Arriaga. Venator jaculatur apparentem leporem aut picam, cum reverà non sit lepus aut pica, sed venefica. ponamus autem venatorem prius rem diligenter examinasse; quo casu sine inconsiderantia jaculabitur, & tamen ex ignorantia occidet Sagam: potest autem habere species objecti, eò quod sapius audiverit, Sagas in forma leporis aut picæ solere apparere.

135. Econtra contingere potest, vt aliquid fiat cum Inconsiderantia, nullà tamen interveniente ignorantia: v. g. apparet mihi aliquid intra dumeta; judico esse feram, sed ex nimia jaculandi cupiditate nolo diligentius, vt par esset, considerare, tunc, si reipsa est ibi fera, non possum dici jaculatus esse feram ex ignorantia, quia iudicium quod habui, verum erat, negatio autem iudicii certioris non est causa jaculationis feræ, quia etiam cum certiore iudicio jacularer. dicar tamen in casu posito inconsideratè jaculatus esse.

136. Discrimen ergo inter Inconsiderantiam & Ignorantiam hoc est, quod Ignorantia sit absentia cognitionis veræ de objecto. Inconsiderantia verò sit omisso voluntaria investigationis tantæ, quantam communiter homines cauti solent in similibus casibus adhibere.

137. Dubitatur vtilius 3. An, & quando nam Inconsiderantia excuset actum materialiter malum ab Inhonestate. In quo puncto gravis est dissensio inter Suarez & Vasquez. Suarez disp. 4. de *Voluntario* s. 3. n. 17. & n. 21. fatetur esse explicatu difficile, quandonam univèrsim Inconsiderantia excuset à Voluntario & peccato. Deinde refellit duas explicandi vias, quarum secundam refert his verbis. Alterum ergo extremum erit, si dicamus, tunc solum Inconsiderationem esse voluntariam, quando supra illam aliquo modo reflectitur intellectus actu formali, expressè

presè advertendo, se non satis considerasse rem, & teneri ad exactius considerandum, vel saltem dubitat de sufficiente cognitione, & de obligatione amplius cogitandi: & eadem ratione juxta hunc modum dicendi, vt res actu non considerata sit voluntaria, oportebit, vt aliquo modo cadat in actualem apprehensionem intellectus, vel directè, vt, si intellectus prouideat ex tali causa esse secuturum talem effectum, vel saltem de hoc dubitare incipiat, vel saltem reflexè, si incipiat dubitare, vtrum oporteat inquirere & considerare, siue periculum, vt consequatur talis effectus. Qui quidem modus dicendi si esset verus, facile expediret difficultates positas. Denique juxta hunc dicendi modum excusarentur homines à multis peccatis, perplexitatibus & scrupulis. Hac Suarez, rejiciens mox hunc modum dicendi.

138. E contra Vasquez d. 107. r. 3. hunc dicendi modum amplectitur, atque in eum conspirare plurimos Doctores, quos ibi refert, adeo vt longa inquit, disputatione opus non esset, nisi Recentiores aliqui (notat Suarezium) voluissent manifeste veritati aduersari. Eandem sententiam multis propugnat Arriaga diff. 13. s. 2. Cum his

139. DICO, ad hoc vt actus ex inconsiderantia factus, sit inhonestus, & habeat ratio-

nem culpæ, necesse est, vt de presenti aduertentia, super obligatione inquirendi seu considerandi objectum, an sit licitum necne. Ratio est manifesta, quia vt suprà de Ignorantia diximus, nunquam potest committi peccatum ex inconsiderantia, nisi interueniat aliqua formalis malitia, & agatur contra dictamen rationis, seu contra conscientiam obligantem ad contrarium, seu ostendentem malitiam objectivam: atque quando peccatur ex inconsiderantia, tunc non cognoscitur malitia objectiva ipsius actus, quia ex Inconsiderantia, v. g. comestionis carnis de veneris, hac enim cognitio per Inconsiderantiam formaliter excluditur: ergo malitia objectiva tunc cognita erit comestio facta sine debita inquisitione: ergo debet precedere dictamen de obligatione inquirendi. Et nisi hoc dicatur, nunquam poterit assignari regula stabilis, cur actus ex inconsiderantia facti aliquando sint culpabiles, aliquando non.

140. Contra hanc doctrinam aliud nihil movet Suarez, quam quòd hoc modo homines à multis peccatis excusarentur. Negamus hoc esse absurdum, immò, vt rectè dixit Arriaga, opus est, vt per inconsiderantiam multa peccata excusentur.

C A P V T III.

DE HUMANÆ VOLUNTATIS LIBERTATE.

Solent hoc tempore Theologi hanc materiam, alioquin philosophicam, tractare accuratius propter Janfenistas, qui non admittunt Libertatem Indifferentiæ, sed volunt, Libertatem esse potentiam volitivam, potentem operari sine violentia & coactione; quo sensu etiam amor beatificus est liber, hoc est, non violentus aut coactus contra aliquam inclinationem quantum est ex se efficacem, sed vel maxime juxta inclinationem. Conantur Janfenistæ hanc suam sententiam suadere ex S. Augustino: ad quem vindicandum etsi magna volumina conscripta sint, potest tamen paucis ostendi veritas.

CONTROVERSIA I.

An detur Libertas Indifferentiæ.

141. **L**ibertas Indifferentiæ est potentia ad actus oppositos & impossibiles, non quidem in sensu composito sibi coniungendos, sed in sensu diviso, hoc est, quæ quemlibet ex actibus oppositis, excluso altero, sibi coniungere potest.

Dicendum est, dari in homine hanc libertatem. Probat 1. Ex Scriptura. Eccles. 30. Beatus vir, qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala & non fecit. Non minus clare id expresserat c. 15. Ipse ab initio fecit illum, & reliquit eum in manu consilij sui: si volueris, confitebis mandata, & siudem bonam placiti: apponam tibi ignem & aquam, ad quodcumque volueris porriges manum tuam: in conspectu vitæ & mors, & quodcumque placuerit, dabitur ei. In quæ verba S. Augustinus lib. de Grat. & lib. arbit. ad Valentini c. 3. Ecce! inquit, apertissime videmus expressum liberum humane voluntatis arbitrium. Porro non possunt hæc verba intelligi de libertate excludente solam coactionem, habente tamen determinatam necessitatem: ad hanc enim persuadendam ineptè afferrentur oppositiones illæ rerum incommensurabilium, vt consideranti facile liquet.

142. Probat 2. Autoritate Sedis Apostolicæ. Imprimis in Bulla Pij. V. & Gregorij XIII. contra Michaelē Baium traditur, libertatem, quæ in nostris operibus reperitur, non esse solum à Coactione, sed libertatem indifferentiæ, & sine hac non esse peccatum, nec liberum simpliciter.